



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

16. Octobris. Hoc inter felicitatem humanam, & Christi crucem interest,
quòd illa gustata fastiditur; hæc quòd plùs est pota. majorem sitim accendit.
Ignat. apud Ribaden.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

ricliteretur. Id nempe curandum magis,
quid corpori, quàm quid mēbro expediat,

16. Octobris.

*Hoc inter felicitatem humanam, & Christi
crucem interest, quòd illa gustata fastidi-
tur; hac quòd plùs est pota, majorem suam
accendit. Ignat. apud Ribaden.*

ETiam amara condiri possunt, non mo-
dò ut profint, sed etiam ut sapiant ut
appetantur; quis crederet? nisi experien-
tia docuisset, Laurentio ignes videri esse
rosas.

Quidquid recipitur, per modum recipi-
entis recipitur: apis etiam ex amaro thymo
novit mel conficere, ex durissimo ligno,
alembyci artificio, salutare eliquantur
succi. Quod in his potest ars, poterit in
nobis gratia.

Discendo pati, dediscimus miseriam,
amando crucem, plùs eà, quàm suis ullis
voluptatibus, delectamur. Sic in suis rosa
spinis exultat, & quas alii pœnas crede-
rent, ipsa decoris sui custodes amat, Sicia-
ter tribulos acanthis modulatur.

Nec magnum est mysterium, gravia non
graviter ferre; si futurum est malum: male
nunc

nunc ante tempus affligit; si præteritum : malo liberati sumus; si præsens : cogita, statim fore præteritum; ita cogitatione nostra crescit, vel minuitur dolor.

17. Octobris.

Debent nobis corporis excusationes semper esse suspecta, quippe fugam laboris, fictam debilitate virium, pratexere soliti. S. Ignat. apud Bart. l. 3, f. 218.

Mala consiliaria est sualitas, in sua commoda partialis, si una non sufficiat, mille in promptu causas invenit, queis indulgentiam persuadeat; si omnia nequeat incommoda, quærit plurima, quærit difficillima declinare.

Sanitas honestissimum nomen, sanctus planè titulus, sed sub quo mollicies, acedia, sensualitas, sensuum libertas, passionum indulgentia, remissio, laxitas, non levia certè vitia, velut sub sipario, nidulantur.

Nescit corpus, quid sibi profit. Præsentia sentit, futura non attendit : quantum ex indulgentia damnum incurrat, non videt, quia sensu omnia, nihil discursu novit definire. Aliter olim judicabit.

Doloris mensura gloriæ modum defini-